

eodem subjecto longe aliter se habent. Igitur diversæ & oppositæ modificationes, quæ possunt mutare substantiam ipsam, & subjecti corporei interitum importare, idem non possunt in substantiam spiritualem & simplicem, qualis est mens humana.

Objic. 4. Ex animæ spiritualitate non colligitur illius immortalitas; ergo nulla sunt argumenta, quibus animæ immortalitatem demonstrare voluimus..... Resp. N. ant. Etenim substantia partium expers ex natura sua immortalis est. Præterea etiamsi permittimus Ant., negare tamen possemus consequentiam; non enim solo hoc argumento usi sumus, verum & pluribus aliis; argumentati enim sumus ex consensu hominum, ex conscientia stimulis, ex justitia Dei, aliaque plurima adhibuimus argumenta.

Inst. Quod cogitat est spirituale; sed Brutorum animæ cogitant; ergo sunt spirituales; atqui tamen morte pereunt cum corpore, ergo licet mens humana spiritualis & simplex sit, minime sequitur eam esse immortalem.... Singulæ hujus argumenti propositiones facile probantur. 1. *Quod cogitat est spirituale* jam a nobis ipsis fuit fuse demonstrata. 2. *Brutorum animæ cogitant*; ex Brutorum actionibus est manifesta; innumera enim quotidie videmus a brutis animantibus fieri, quæ sine cogitatione nullo modo explicari possunt; ita felium solertia & dexteritas in capiendis muribus, ita fidelitas canum erga dominos, ita ars imitandi in simiis, ita innumera alia omnibus obvia & notissima, quæ fu-